

De hoc orbis  
senario eui-  
dentiore &  
magis propri-  
am causam  
habet supra  
pag. 24.

Et quidem senario numero quis commodiorem alterum, & digniorem elegerit? quouē totum hoc vniuersum suos in orbes à Deo Conditore, mundiq; opifice distinctum, mortalibus facilius persuaserit? is nanq; cum in sacris Dei oraculis, tum à Pythagoreis, reliquisq; Philosophis, vt qui maximè celebratur. Quid autem huic Dei opificio conuenientius, quàm vt primum hoc, & perfectissimum Opus, primo & eodem perfectissimo numero includatur? ad hæc, vt ita à prædictis sex orbibus mobilibus harmonia cœlestis perficiatur, vbi orbes omnes sibi eo pacto succedant, vt & nulla ab altero ad alterum interualli immensitas reliquatur; & quisque geometriâ septus suum locum in hunc tueatur modum, vt si quemcunque loco mouere tentes, simul etiam totum systema dissoluas.

Quo orbis ma-  
gno, & ei ad-  
herentibus  
motus com-  
petant.

Terræ motus  
tres.

1. Diurnus.

2. Annuus.

3. Declina-  
tionis.

Sed generalibus his prælibatis, accedamus sanè ad lationum circularium, quæ competunt singulis orbibus & sibi adhaerentibus ac incumbentibus corporibus, enumerationem. Primò autem dicemus de hypothefibus motuum terreni globi, cui nos inhæremus. Cum D. Præceptor meus Platonem, & Pytagoreos summos diuini illius seculi Mathematicos sequens, spherico terræ corpori circulares lationes ad τῶν φαινομένων causas assignandas, tribuendas censeret, videretque (quemadmodum Aristoteles quoque testatur) vno attributo terræ motu, & alias item lationes ipsi ad stellarum imitationem competere, tribus eam principio vt maximè præcipuis moueri motibus, assumendum iudicauit. Primò namq; vniuersali mundi distributione, vt mox dictum est, assumpta, constituit terram intra Lunæ orbem, suis verticibus inclusam, tanquam spherulam in torno, diuino ita ordinante numine, ipsius globi ab occasu ad ortum motu, diem noctemq; atque aliam super aliam cœli faciem mortalibus, prout se Soli obuertat, producere. Secundo loco, centrum terræ cum sibi incumbentibus, elementis scilicet, & orbe lunari ab orbe Magno, de quo semel atque iterum iam meminimus, vniuniformiter in eclipticæ plano, secundum signorum consequentiam circumferri. Tertiò æquinoctialem, & axem terræ ad planum eclipticæ conuertibilem habere inclinationem, & contra motum centri reflecti ita, vt vbiunque sit  
centrum